



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 52. F. Michaelis Mazarini Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.  
A. C. 1648.

§. LII.

*F. Michaelis Mazarini Cardinalis  
obitus.*

Hunc pari mortalitatis fato sequebatur F. Michael Mazarinus patria Romanus, Cardinalis Julii celeberrimi Franciæ Ministri frater. Hic institutum FF. Prædicatorum professus, postquam honorifica Ordinis sui munia ingenti laude emensus erat, ab Urbano VIII. Sacri Palatii Magister, & ab Innocentio X. Aquensis Archiepiscopus renunciatus est: Postea in Franciam ad fratrem suum profectus, Annæ Galliarum Reginæ gratiam tam dextre sibi conciliabat, ut hæc illum Purpura Romana decorari, non semel a Papa efflagitaret: id ipsum Uladislaus Poloniæ Rex impense petebat, qui Mazarinum,

*Vid. supra  
S. 59. p. 193.*

*Virum omnibus animi ornamentis insignem, celebris famæ, honorumque omnium testimonio commendatum, in suis ad Papam literis appellare haud dubitabat: nihilominus Pontifex Michaellem Sacro Collegio adoptare, constanter renuit, partim quod ab his Regibus extraneus contra usitatum morem nominaretur, partim quod Papa Julium Mazarinum Michaelis fratrem Sedi Apostolicæ infensum crederet: tandem vero eundem*

ad

ad Guisii Ducis, & Olympiæ preces Sæc. XVII.  
 Innocentius X. Cardinalem Presbyte- A. C. 1648.  
 rum nominabat, qua tamen dignitate  
 Religiosissimus hic Vir haud diu poti-  
 tus, postquam a Rege Christianissimo  
 Catalauniæ Prorex institutus Barcino-  
 ne Romam redierat, die trigesima pri-  
 ma Augusti nonnisi quadraginta tres  
 annos natus ibidem Purpuram cum  
 vita exiit.

§. LIII.

*Lælii Falconerii Cardinalis decessus.*

Postremus ex Purpuratis, qui hoc Ciacon. in  
 anno naturæ debitum solverant, vita Urba-  
 erat Lælius Falconerius patria Floren- nus VIII.  
 tinus, qui raris animi dotibus, ingenii  
 perspicacia, morum probitate, integri-  
 tate, comitate & prudentia præditus,  
 omnium in se amorem & benevolen-  
 tiam rapiebat. Emeritus Doctoris lau-  
 ream aliquamdiu Caussidicum egit, &  
 ab Urbano VIII. Papa variis Præfectu-  
 ris & Congregationibus præpositus, sese  
 accerrimum ac omnino incorruptum ju-  
 stitiæ vindicem semper exhibuit, erga  
 illos tamen, quibus causæ æquitas ob-  
 stiterat, sententiæ severitatem tanta  
 verborum suavitate leniebat, ut hos  
 quidem damnatos, non tamen offensos  
 velle videretur: Tot igitur meritis præ-